



COMMENTARIUS  
 DE  
 SVCCAMERARIO  
 REGNI POLONIAE,  
 EDITVS  
 A  
 GEORGIO PETRO SCHVLTZ, D.

---




---

ANNO MDCCXLVII.



THORVNII

IMPRIMEBAT THEOPHILVS EHRENFRIED WAETZOLDT,  
 NOBIL. SENAT. ET GYMN. TYPOGR.



COMMENTARIUS

SVCCAMERARIO

REGNI POLONIAE

EDITIONE

GEORGIO PETRO SCHWETA

E. XXVII 293

ANNO MDCCLXXV

GEORGIO PETRO SCHWETA

LIBRARIUS

IN URBE VINDOBONENSIS

NOBILISSIMO SENATU

293

ILLVSTRISSIMO  
ET  
EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
CASIMIRO. CIOŁEK  
PONIATOWSKI,  
SVCCAMERARIO  
REGNI POLONIÆ,  
&  
RELIQVA,  
DOMINO  
GRATIOSISSIMO  
SACRVM.

# ARGVMENTA

- §. 1. De nomine Cubicularii.
- §. 2. De nomine Camerarii.
- §. 3. Nomen Succamerarii Regni.
- §. 4. Definitio.
- §. 5. Origo & Munia.
- §. 6. Quo tempore.
- §. 7. Numerus, Creatio, & Juramentum.
- §. 8. Singularia.
- §. 9. Insignia moderni Succamerarii Regni natalitia.
- §. 10. II. 12. Succamerarii Terrestres.
- §. 13. Cur ita appellentur.

Documenta & augmenta Mscta.

DE



DE  
SVC CAMERARIO  
REGNI POLONIÆ!

§ I.

**V**Ocabulum Cubiculi Latinum variè accipitur. Cubiculum enim generatim significat Conclave, ubi per diem manemus, præterquam cum prandendum coenandumque est; Ein Gemach: Malè enim de dormitoriis cubiculis nonnulli hanc vocem tantùm accipiunt. Plinius

I.  
Generalia  
*De Cubiculis  
Cubiculo, et  
Prefecto  
Cubiculorum.*

certè Cubiculum noctis & Somni *L. II. Ep. XVII.* & Cubiculum dormitorium *Lib. V. Epist. VI.* faciendi discriminis causa disertè dixit. Conclave enim à clave, quâ claudebatur, & Cubiculum in genere appellabatur à cubando, quia Romani in prandio & cœnâ cubabant & accumbebant ad mensas cujuscunque generis; speciâtim verò à cubando noctu & dormiendo.

Apud *veteres Romanos* nominabatur *Cubicularius*, qui in cubiculo ministrat, ein *Cammer-Diener*. Hoc genus servorum, & admissiones curabat, & dominum defendebat. Vide *Pignorium de Servis, pag. 237.* Frequens mentio horum Cubiculariorum apud *Svetonium* & alios Auctores: His qui præerat, *Præfectus Cubiculi* appellabatur. *Svetonius* in *Domit. cap. XVI.* quem tamen sequenti capite & *Decurionem Cubiculariorum* nominat. Nimirum Princeps plures Cubicularios habebat, eosque in *Decurias* distinctos, ut per vices ministrantes. Singulis *Decuriis* præerat, qui ex re ipsa *Decurio* appellabatur. Hos supra omnes *Præfectus* erat; qui tamen aliquando *Cubicularius* simpliciter appellabatur. *Capitolinus* in *Pertinace cap. IV.* *Commodo* interfecto *Latus Præfectus Prætorii*, & *Electus Cubicularius* ad *Pertinacem* venerunt, ut eum confirmarent, atque in castra duxerunt. Oportet summum *Ordinis* sui fuisse, qui cum *Præfecto Prætorii* novum Imperatorem constitueret.

Apud *eosdem Romanos* olim *Cubicularius* erat *Custos Cubiculi*, Græcè *ἐὐνῆχος, ἀ τὸ ἐχεν, custodire.* Vide *Cujacius* in *L. ff. de Lib. & Posth.* & *Ambrosius* *Epist. 5.* ubi *Gallicanus Cubiculi Præfectus*, *Evnuchus* regius dicitur. Apud *Socratem* *Eutropius Evnuchus Præpositus Cubiculo Regio, & primus Evnuchorum*, *Consul* factus, nominatur. *Evagrius*



L.IV. scripsit: Qui Regiis Cubiculis inserviunt, vulgo Evnuchi dicuntur. *Claudianus* in Eotr. cecinit:

*Præfecti, sed adhuc gemmis vestique dabantur,  
Custodes sacroque adhibere silentia somno,  
Militia Evnuchi nunquam progressa Cubiles,  
Non vitâ spondente fidem, sed inertia tantum  
Mentis pignus erat, secreta monilia servent,  
Ornatus curent Tyrios.*

*Cubicularius Novæ Romæ* apud Vghellum Italiae Sacrae Tom. V. pag. 1505. Hilarius Sacerdos & Monachus & Magnae Ecclesiae Novæ Romæ Cubicularius appellatur. Dignitas fuit Ecclesiastica, eadem fortè cum illa, quam  $\kappa\beta\beta\kappa\lambda\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$  appellat Pachymeres Lib. XII. cap. 2. quaque etiam donatus fuit Romanus quidam, Videtur fuisse Capellanus Patriarchæ.

*Cubicularius Tonsuratus* in Ordine Rom. memoratus in familia Pontificis M. Rom. sic dicitur, ad discrimen *Cubicularii Laici* Munus ejus circa vestes ecclesiasticas; *Laici* circa quotidianas erat. Et quidem *Laico* hæc cura est præscripta, ut sella Pontificis M. in sacrario sit parata, donec ille veniat, celebraturus Divina Mysteria. Pontifex M. per manus Subdiaconorum mutat vestimenta hoc ordine: Defert ei plicata *Cubicularius Tonsuratus*, accepta de manibus Ostiarii. &c. Eligebantur autem Cubicularii isti ex scholâ Cantorum. Admirationem præterea meretur, quod labente Latinitate, Cubicularius postea appellatus [sit] Cubicularius. Sic enim vetus Inscriptio apud Grauterum: AVGVSTÆ L. AMARANTHVS. SV. PRA. CVBVCLARIOS. & alia l. c. DIS. MANIBVS. POLYBI. CVBVCVLARI. Græci enim recentiores  $\kappa\beta\beta\kappa\lambda\epsilon\iota\sigma\iota\upsilon$  dixere, quod Latini Cubiculum.

De

De *Cubiculariis Regni Poloniae*, hæc reliquit memoria *Cromerus l. c. fol. 512.* Cubicularii & pueri præsto sunt ad quævis domestica ministeria. Sed *Cubiculariorum* peculiaris usus est in acciendis in Senatum & ad Regem Consiliariis, & perferendis quoquo versus literis, mandatis, Edictisque Regiis. Quam ad rem oppidatim & vicatim eis mandato Principis equi subministrantur, quæ Subvectiones, & lingvâ vernacula Podwodæ vocantur: Cursum publicum Latini vocant. Incedentem in publico Principem aulici quidem antecedunt, stipatores prælongis securibus, more peditum Germanorum armati, latera ejus cingunt; *Cubicularii* verò cum pueris subsequuntur: sed ita, ut aulici Proceribus atquè Senatoribus profani Ordinis, & Cubicularii puerique, Episcopis ac Secretariis Ecclesiastici Ordinis proxima Principi loca honoris causâ concedant: nisi fortè Regem Regina sequatur. Tunc enim Episcopi quoque & Secretarii cum Proceribus antecedunt: Reginam verò longus ordo sequitur Nobilium Matronarum & Puellarum. Habet etiam Regina suum comitatum, nec modò puellarum & matronarum, quæ in Gynaeeo sunt, sed etiam *puerorum cubiculariorum* & aulicorum.

## § II.


II.  
Generalia  
De Camera  
& Camerariis.

Invaluit postea, per mutatum nomen, loquendi formula, *Camera*, id est, Cubiculum, Coenaculum, Conclave, quasi *Camuræ* à curvitate, sive Græco *Καμάρα*. *Κάμαρον* autem, idem quod *τροχάλον*, curvum seu inflexum. Arcuata enim, & in morem rotarum rotundata tecta Camerae erant. Unde rotatio Camerarum apud Cassiodorum, *Rund-gewölbte Gemächer, wie die Keller.* &c. Apud ceterioris ævi Scriptores Conclave est, ubi thesaurus reperitur & servatur, quâ notione apud

ne apud Græcos *Κατὰν* occurrit. Inprimis sumitur pro *Fisco Imperatoris vel Regis*. Unde Fridericus I. Imp. apud Helmodum *L. I. cap. 80.* & in Histor. Archiepisc. Brem. A. C. 1155. Magna, inquit, requiritis. O Viri Romani, de exinata Camera nostra. Sic in Testamento Caroli M. apud Eginhartum legimus: Quicquid in *Camera* atque *Vestuario* ejus, eo die fuisset inventum. Inde in Francia Fiscus seu Thesaurus Regius, hodieque Camera Denariorum dicitur: factumque, ut Provinciæ etiam atque Urbes. quæ immediate Principi suberant, & Fiscus erant propriæ, Camera dicerentur. Vid. LL. Edwardi Confess. Matthæum Paris. A. C. 1242. & alios. Sic Monasterium S. Dionysii, *propriam Camera* Regis Franciæ vocat Rigordus A. C. 1185. Porro pro *Curia Principis*, pro *Officina* ejus *Monetaria*, pro Officio Camerarii in monasteriis, pro dotalitio uxoris, vocem usurpatam reperias in Vita S. Adalberti Prag. Antiq. Lect. Tom. V. Qua ultima notione hodieque in usu apud Gallos est, qui La Chambre de la femme vulgò appellant suppellectilem, quæ post excessum conjugis, uxori addici solet. De Camera Clericorum, quæ in Francia idem erat, quod in Anglia Garderoba, vid. Fletam *L. II. cap. 14 §. I.*

*Camera* etiam accipitur pro Sepulchro, camerato & Hypogæo subterraneo.

Hinc *Camerarius*, qui in Regno Angliæ idem cum Cambellano seu Cubiculario est, apud Fletam *L. II. cap. 6. §. 2.* in Regno Scotiæ idem est, qui *Justitarius Itinerans* dicitur in Anglia. Is enim certis anni temporibus totam Scotiam peragrat, & in delicta incolarum exterorumque, præsertim artificum &c. inquirat, quæ quidem Regni peragratio, Iter Camerariæ vel Camerarii nuncupatur in LL. Scoticis, à Guenæo editis.



In aula Pontificis Max. cognomen *Apostolici* habet, qui pecuniarum & Ecclesiae Rom. thesauri curam gerit, quod Officium Archidiaconi extincto nomine, à Gregorio VII. Pontif. Max. institutum esse tradit, Onuphrius Panvinius.

Est quoque in eadem Aula *Camerarius Cardinalis*, qui *Camerae*, ut vocant, *Apostolicae*, hoc est, Thesauri & reddituum Ecclesiae Romanae curam, ac, sede vacante per illos dies, quibus conclave, ut ajunt, nondum celebratur, magnam Jurisdictionem exercet, monetamque cum gentilitiis suis insignibus cudit. Huic, si Sede nondum redintegrata, decedere contigerit, ex facultate Bullae Clementis V. ipsi Cardinales alium in eadem dignitate substituere tenentur. Domin. Marcer in Hieroglexico. Conf. Carol. du Fresne in Glossario Med. & Infimae Latinit. Hoffmanni Lexicon Universale &c.

In Sacro Rom. Imperio, Elector Brandenburgicus *Archicamerarius*, *Erz-Cammerer*, salutatur, nomine à Camera, quae Germanicè Cubiculum designat, desumpto. Imperatores enim Romani, olim suos *Cubicularios*, seu *Sacri Cubiculi Praepositos* habebant, inter quos primicerius erat: In Processione coronandi Imper. praefert hodiè Sceptrum, olim Clavim: & in solenni Curia, Cesari pelvim exhibet & mantile ejusdem valoris, ac caetera instrumenta, quibus Electores solennibus muneribus desungi solent, duodecim Marcarum argenti. Eo absente, Sub-Officialis sive *Erz-Cammerer des H. Römischen Reichs*, Princeps de Hohenzollern id praestat Officium. Conf. Juris Publici S. R. Imp. Doctores, Limnaeum, Rhetium, Coccejum, Spenerum, & reliquos permultos.


### § III.

Nomen: cur Suc  
CAMERARIUS.

Ad nomen igitur hujus quod attinet, licet nullum agnoscat

scat superiorem; usu tamen receptum est hodie, ut *Succamerarius*, neutiquam verò *Supremus*, vel *Archi-Camerarius*, saluetur, convenientiori titulo Poloniæ, *Podkomorzy*. Quæ sit ratio & origo hujus peruersæ & incongruæ appellationis, HART KNOCHIVS in *Jur. Publ. Polon. L. II. Cap. IV. pag. 550 §. 10.* suspicari & conjecturare voluit; quâ autem veritate, in subsequentibus §. §. docebitur. *Verba ejus hæc sunt:* Dubium est, unde fiat, quod quidam Magistratus in genere *Supremi*, (Poloniæ) appellationes tamen *Vicariorum* habeant. Exempli gratiâ: *Theaurarius Supremus* Polonicè vocatur *Podskarbi*. id est, *Sub-Theaurarius*, etiamsi supra se non agnoscat *Theaurarium* superiorem. Non secus etiam *Succamerarii* vocantur, quasi *Sub-Camerarii*, & Polonicè *Podkomorzy*, etiamsi supra se in hoc Magistratu neminem habeant, sed ipsi sint *Supremi*. Auget admirationem & illud, quod inverso rerum ordine, *Camerarii* sint *Vicarii Sub-Camerariorum*, & illi qui vocantur *Skarbnicy*, id est, *Custodes Theauri*, sint longè inferiores his, qui dicuntur *Podskarbi*, etiamsi, si vim vocabulorum spectes, contrario modo se res habere deberet. *Idem l. c. pag. 552.* *Succamerarius*, inquit, qui olim sinè dubio præfuit *Principis Cubiculo* in suo quisque *Tractu*, postea collectis *Regni*, antea *discerpti*, partibus in unum corpus, cefanteque priore munere, casu quodam, cum fortassè reliqui *Judices* omnibus causis decidendis non sufficerent, accepit munus *Judicis limitanei*, ita ut hodie regendis finibus agrorum ac *Bonorum Terrestrium* præsit. Vid. MARTIN. CROMERUS *L. II. Descript. Polon. pag. 149. sqq.* Dici posse videtur, primos Poloniæ *Monarchos*, cum suis absoluto *Jure* præessent, habuisse simul & *Theaurarios Supremos* & *Sub-Theaurarios*. Cum autem successu temporis animadvertissent, *Theaurariorum* & *Camerariorum* munera esse maximè fructuosa, ita ut ex illo-

vel ut in Anglia  
Lord Groß  
Cämmerer  
in Germania  
D:ber Cämmerer



rum abrogatione Theſaurus Principis non exigua capere poſſet incrementa, reſervato ſibi Theſaurarii & Camerarii munere, Vice-Theſaurarios tantum & Succamerarios retinuerunt. Auſta deinde re Polonâ, cum Vice-Theſaurarii & Succamerarii functionibus ſuis non ſufficerent, manſit quidem Lex antiqua, retinueruntque Vice-Theſaurarii & Succamerarii primum locum, ſed illis additi ſunt alii inferiores Quæſtores & Camerarij. HARTVNOCHIUS *loc. cit.*

## § IV.

*Origo.* Non ſine iudicio, neque ex conſuetudine libellos augendi, protuli in medium, quæ ex antiquitatibus diverſarum Gentium propoſui ex HOFFMANNI Lexico, CAROLI DV FRESNE & SPELMANNI GLOSSARIIS & aliis, in §. §. præcedentibus; ſed eum in finem, ut hanc §. legere, examinare, & trutinare poſſit L. B. Stat enim ſententia mea, & ſtabit, uſque dum contradicturi, inviſtis probabunt argumentis, me ſtudio vel novitatis, vel amore erga Poloniam, abreptum ſcripiſſe ſequentia, quæ pluribus & copioſiſſimè poſſem explicare, ſi permitteret inſtituti mei ratio. Sint erga Theſes:

I. Polonia integra, nunquam S. Rom. Imperio fuit ſubjecta, vel imperatores ejus agnovit pro Dominis directis neque præſtitit Homagium in recognitionem Supremi Domini.


II. Multo minus fuit tributaria eiſdem, ſed ſemper libera, independens & ſui juris; licet laceſſita bellis, varia ſit experta Martis fata Conf. *Joab. Schultzii à Szulecki* Polonia nunquam tributaria.

III. Boleslaus, eidemque ſuccedentes Reges, æmuli fuerunt Imperatoris Romani & Germaniæ, in aulis, ritibus, Legibus, aliisque ad ſalutem & ſplendorem Poloniæ pertinentibus

IV. Sine dubio Boleslaus, aulae Imperatoriae supremos Ministros, Archi-Mareschalcos, Cancellarios, Thesaurarios & Camerarios introduxit Supremos, licet fortè aliis nominibus eos condecoraverit, quæ postea restaurator amissæ vel omissæ dignitatis Regiæ Przemislaus restituit, auxit, amplificavit & emendavit.

V. Inde, ne cederent splendore vicinis Imperatoribus Romanis, & Germaniæ Regibus, idem illis placuit, quod Lehmannus in Chronico Spirensi, L. 5. c. 3. scripsit: Ein jeder Kaysers und Königs, und aus deren Verordnung die Reichs-Fürsten, haben ein Jeder an seinem Hofe fürnehmlich vier Ämt, nemlich einen Truchses, Marschall, Camerer und Schencken. Sunt enim in S. R. Imperio, Archi-Mareschalcus, Elector Saxoniae; Archi-Dapifer Elector Bavariae; Archi-Camerarius Elector Brandenburgicus; & Archi-Pincerna Elector & Rex Bohemiae. De quibus præ cæteris peringeniosè egit Illustris HEINRICVS COCCEJVS in Juris-Publ. Prudentia. Unde Erb-Marschall, Erb-Truchses, Erb-Cämmer, Erb-Schenck; eorumque Vicarii Erb-Marschall, Erb-Truchses, Erb-Schencke & Erb-Cämmerer des Reichs; in aulis verd singulorum Electorum, Ober-Marschall, Ober-Truchses, Ober-Cämmerer, Ober-Schencke. Hodie mutata esse ex parte hæc Officia, notum est. Et quod ad Cancellarios adinet, omni tempore personis Ecclesiasticis & Archiepiscopis Germaniæ, hæc demandata fuisse Archi-Officia, non Laicis, omnibus est notum.

VI. Sine dubio igitur Reges Poloniae, ex Germania arecesserunt quoque Archi-Camerarios, vel Supremos Camerarios: cum ex antecedentibus §. §. satis liquet, nullum fuisse Imperatorem, Regem, vel alio nomine Monarcham, qui sine Ministris & Custodibus Cubiculorum suorum vixerint, & Cu-



biculariis necessarium fuisse Directorem. Undè in supra dictis, *Prefectus Cubiculariorum*, & *Supra-Cubicularius* legitur.


VII. Ex his colligo & concludo, Succamerarios Regni Poloniae alium mereri & fortè olim habuisse titulum, utque *Archi-Camerarii*, vel *Supremi Camerarii* appellari debeant, eorundemque Vicarii *Sub-Camerarii* *Erz*, vel *Ober*, & *Unter*, *Cämmerer*. Sed usus & loquendi formula prævalent. Vnde FREDRO de Reb. Gestis Henrici semper *Archi-Camerarium* appellavit.

VIII. Cum ergo Succamerarii Regni semper præsto fuerint Regibus suis, & ab iis divelli per multiplices & crebras profectiones, ad terminos & fines nobilium dubiorum controversarum inspiciendos, vix pati potuerint, præterea sumptus à partibus litigantibus erogandi seu suppeditandi nimii fuerint, ipsisque tædiosa talia itinera; factum est fortè, ut *ipsi* adierint Reges supplicando, quo liberarent se talibus invidiosis & odiosis profectioibus; vel ipsa Nobilitas, postquam Tribunalia introducta, à Rege Stephano ejusque Successoribus impetravit, ut in quovis Palatinatu Judex limitaneus institueretur, & Regum atque Succamerariorum curæ molestissimæ levarentur. Et hinc successu temporis, Succamerariorum Regni Jurisdictio decrevit, Nobilitasque eam iis imminuit, & invidia, æmulatione, nec non sic dicta coæquatione, aliisque rationibus mota, tandem abstulit, ut hodie pristina & perantiqua Jurisdictio circa fines regundos, inter Nobiles, planè cesset & negligatur. Conf. §. præcedentem.

IX. Accedit his conjecturis, quod Reges & Principes Supremi Poloniae, more Imperatorum Romanorum in Germania, non uni urbi seu sedi fuerint affixi, Regioni vel Terræ, sed per totum Regnum hinc inde commigraverint, (unde *Reichs-Städte*, & oneribus ordinariis exemptæ, *Freie Reichs*,



Reichs-Städte. Conf. Scriptores J. P. de S. R. Imp. supra allegatos) ibidemque ad tempus commorantes, præter ordinarios Aulae Ministros creaverint elegerintque ex Nobilitate Terrestri extraordinarios temporariosque, postea verò perpetuos, sine tamen ordinariorum Aulicorum præjudicio, in illis Terris. Sic enim scripsit CROMERVS de *Magistr. Polon. fol.* 503. *loco cit.* Cum ad Officium Principis pertinere existimaretur, non desidem & uni alicui loco affixum hære, sed obire omne Regnum, & fines ejus tueri, & omnium usibus se exponere, querimonias afflictorum audire, jus dicere, tenuiores à potentiorum injuriis vindicare, quoquo is venerat, cum equitatu & comitatu suo aulico, ejus Præfecturæ fructibus & proventibus alebatur, quoad ei manere ibi libuisset, opusve esset sive quoad horrea cellæque sufficerent, seu denique descriptis cuique Præfecto pro ratione Præfecturæ, & proventuum certis temporum spatiis. Atque hoc illud est, quod Scriptores quidam externi, rerum Polonicarum imperiti, ante nostram memoriam in eam partem acceperunt, & litteris mandarunt, quasi Rex Polonus egestatis causâ Regnum suum obire perpetuò necesse habeat, quò à suis hominibus quasi precario sustentetur. Illustravit hæc idem CROMERVS de *Rebus Polonorum Lib. III. fol. 44. edit. Basil. an: 1568.* in vita Boleslai primi regis pol. seqq. Pace per circuitum parta, auctoque & propagato in omnes partes cum laude atque gloria imperio, Boleslaus rex reliquum vitæ tempus quieti, & constituendæ domi Reipubl. dabat, duodecim utens consiliariis, quos e tota Polonia probatissimos, & annis judicioque graves delegerat. Quos etiam, quoties animum remittere volebat, una cum uxoribus ipsorum mensæ suæ & convivio adhibebat: *Judicia exercebat*: tenuiores, dum litis finem expectant, sumptu mensaque sua sublevabat. *In itinere si quem ru-*



sticum hominem, aut alioqui pannosum conspexisset, accer-  
 sebat ad se ultro, & num quid à se vellet, percontabatur.  
 Quod si is de potentioris injuria querebatur, evocatum illum,  
 qui accusabatur, causa cognita, placide objurgabat: ac in po-  
 sterum ne quid ejusmodi committeret interminatus, satisfacere injuriam passio jubebat.

## § V.


*Definitio*  
 & *Munia.*

Definitionem vel Descriptionem suppeditavit CROME-  
 RVS in *Descriptione Polon. L. II. fol. 512.* sub titulo, Mini-  
 steria publica: Succamerarius est Magister Cubiculi atque Cu-  
 biculariorum puerorum aliorumque domesticorum Principis  
 administratorum; sub cujus potestate est suppellex ad lectum &  
 cubiculum Principis, cultumque corporis pertinens: Janitoris  
 quoque idem praest. *Stanisl. Krzystanowic in Status Re-*  
*gni Poloniae compendiosa Descriptione*, his utitur verbis: Ca-  
 merarius Supremus praest Cubiculo, lectistratoribus & Cu-  
 biculariis Regiis, advertitque, ut omnia pro dignitate Regis  
 administrantur. *CHWALKOWSKI in Jur. Publ. Pol. L. I. Cap.*  
*I. II. pag. 166.* propalavit sequentia: Succamerarius Regni  
 & M. D. Lithuaniae. Horum Officium in Aula Regia magnam  
 praese fert autoritatem. Ab illis enim Audientiae apud Re-  
 gem procurantur, qui etiam in secretis adesse consiliiis facul-  
 tatem habent. Incumbit ipsis, pro ratione Officii & familia-  
 ritate cubiculi Regii, suspiciosa omnia Ordinibus denuntiare.  
 Ideo discessus Regis Henrici, non leviter affecerat Archi-Ca-  
 merarium, (erat tum in Officio Joannes Tencziński) ne  
 " pro Officio suo, in conscientiam facti traheretur. Quae ul-  
 " tima verba Chwalkowscii pluribus explicuit & illustravit  
 ' FREDRO in *Vita Henrici* edit. Dantisc. An. 1660. pag. 116.  
 sequen-

sequenti narratione: Significarat citato nuntio Mater Henrici, „  
 Carolum IX. Regem Galliae concessisse fatis, hæreditaria suc- „  
 cessione ad Henricum pertinere purpuram gallicam; ni vero „  
 ocuus adesset, posse aliquem reperiri a parte principis Con- „  
 densis, qui absentia Henrici in suum commodum uteretur. Af- „  
 fecit res non leviter principis animum; illinc trahebat genetri- „  
 cis terræ amor & hæreditaria purpura; hinc retrahebat ardua „  
 Reipublicæ cura & vigilis labor, par regni & incolarum amor. „  
 Communicat consilium cum tribus gallorum fidissimis, quid „  
 facto opus esset? diligentius inquirit. Ocius (inquit) me „  
 se in gallia, res, ut scitis, requirit; ut vero subito hinc abeam, „  
 obstant leges, quæ vetant regem fines egredi, præterquam a „  
 consensu ordinum, neque esse potestatis Senatorum a latere, „  
 facultatem discessus mihi dandi, antequam dicantur comitia, „  
 non vero levem meis negotiis moram portendi. Non aliud „  
 restat, quam ut clam, vobis comitibus, iter aggrediar: nec „  
 credo ordines improbaturus consilium, ad quos negotii gravitas „  
 devenerit, imo juvabit meum discessum paucis innotescere, „  
 minus inde periculum mihi incognito per externa transeunti. „  
 Te vero, DANSEN, oro, cujus virtutem notam habeo, seu „  
 scripto, seu oretenus referas ordinibus causas mei discessus. „  
 Juvat utique hanc Rempublicam eum regem habere, qui gal- „  
 lis simul & polonis præsit. Non improbant consilium galli à „  
 Secretis; mentionem tamen mortis Caroli coram residenti „  
 senatu faciendam svadent, inde expiscari posse animos consi- „  
 liariorum improbarentne, aut approbarent subitarii discessus, con- „  
 silium. Aggreditur negotium rex: convocat aliquos Senato- „  
 rum, cnfert cum illis diversa, decurrit ad tristem nuntium è „  
 gallia circa mortem Caroli IX fratris sui, quamve necessario „  
 gallia suo adventu opus haberet, adjiciit, Condolent sena- „  
 tores morti regie, non dissvadent, imo optant etiam, ut in „


» Gallias proficiscatur, seqve comites itineris futuros, modode  
 » eo negotio referretur ad ordines. Expiscopatis senatorum ani-  
 » mis rex solvit congressum, perterritus comitali mora, ne,  
 » cum de discessu suo inter ordines disceptaretur, interim hare-  
 » ditas ab alio raperetur; vti saturibus etiam terrarum nova af-  
 » solet crescere fames expositæ in prædam purpuræ. Tacitum  
 » ideo consilium exequi parat. Ad vesperam declinante luce (e-  
 » rat dies 18. Junii, mensis a coronatione quintus) convocat  
 » eisdem triumviros a secretis gallos, alteri imperat eqvos, re-  
 » liquis duobus literas, imo nonnullas sua manu conscripsit, la-  
 » tii apprime gnarus sermonis. Depositis literis sub tegumento  
 » mensæ, profunda nocte per posticum arcis egressus, (ubi ad-  
 » moti erant equi, ocius itineri se accinxit, paucis gallorum co-  
 » mitantibus, enim de discessu suo non constabat. Dies interim  
 » illuxit conveniunt in regiam Senatores, regem pro more invisuri  
 » interim conclamatum Regem non adesse, visum a quodam juve-  
 » ne, cum noctu pernicipibus equis adversa Vistula ripa conten-  
 » deret. Discedunt maesti e curia, quid causæ? mutuo inter se  
 » sciscitantes. Verum ille discessus affecerat non leviter officia-  
 » les curiæ, *Archi-Camerarium præsertim, (erat tum in officio*  
 » *Johannes Tenczinskius) cui pro ratione officii & familiarita-*  
 » *te cubiculi regii, incubuerat suspiciosa omnia Ordinibus denuntia-*  
 » *re. Verebatur ideo, ne pro officio suo in conscientiam facti tra-*  
 » *heretur.* Consensus igitur equis cum comite itineris Zebrzy-  
 » dovio Regem sequi proponunt, causam discessus ab eo inqui-  
 » rere, tutum Sibi Reipublicæque arbitrati. Affecuti regem  
 » in finibus Silesiæ, ultra oppidum Oświęcenum, descendere  
 » ex equis provoluti ad pedes regios, petiere, quatenus (ut)  
 » ab eo itinere supersederet; liberaret Rempublicam metu, par-  
 » ceret famæ regiae, multa indigne jactatum iri apud exterar-  
 » gentes, ad quas fama facti deerraret, aut regem minime re-

gia tentasse, aut polonos haud gnaros erga suos reges seu hu-  
 manitatis seu officii, a quibus quinto regiminis mensē se sub-  
 traheret; ceterum pensaret Henricus, an conscientiae suae be-  
 ne consultum iret, Rempublicam totam ab authoritate regum  
 dependere, quicquid inordinatum in statu publico aut inju-  
 riarum inter privatos accideret, totum id semoventi se a suo  
 grege pastori imputari debere. Non ultra praelachrymis loqui  
 poterant. Ad ea interim Henricus: Non dubitare vos velim  
 de mea in Rempublicam cura multa patriae vestrae & vobis  
 debeo; qui me sponte tanti populi regem creastis; credere vos  
 velim, quoad mihi vita & sanguis superest, non immemor  
 vestrae humanitatis caterum ut ego ab hoc itinere superse-  
 deam, nec ego facere, neque vos suadere jure potestis. Si  
 apud vos mansero, regnum galliae, haereditas mea, aliorum  
 paratur manibus: discessero, brevi rediturus: Nec ideo me  
 regem amisistis; imo multum valebit ad majestatem Reipubli-  
 cae vestrae, tum ad potentiam, si obtento meo regno patrio  
 & opibus, integros regni poloniae proventus ejus necessitati-  
 bus dicavero. Si vero dubitatis de reditu meo, nec posse a-  
 ditis, Rempublicam pro ejus statu & ordine, absente rege ad-  
 ministrari, Gallia, uti haereditatis, per administratos regi pote-  
 rit; ad vos, quos adamavi, revertar. Interim, dum nunc  
 paulum absum, per prudentissimum Senatum, pro authorita-  
 te mea facile consuletur Reipublicae; Et haec vobis responsa  
 do; si ultra mecum loqui placet, ascendite quaeso currum, nam  
 levia momenta temporis causa obstant. Ascendere currum,  
 petiere, suafere verum cum vident frustra verba dari, regiam dex-  
 tram valedicturi ad osculum moesti petunt. Ad ea Henricus ip-  
 se collachrymans: En vobis (inquit, manum extendens,) pi-  
 gnus mei erga patriam vestram animi! Post haec detracto an-  
 nulo, porrexit *Tenczinio* subnectens: Tene signum & testi-



„ monium fidei regiæ, quia me brevi visuri estis! eas vero li-  
 „ teras, quas Cracoviæ in cubiculo reperietis, quæso curate red-  
 „ di unicuique, quibus scriptas intelligetis; reliquam mentem fi-  
 „ delis meus Dansen vobis aperiet, cui fidem quæso date. Re-  
 „ versi illi recta in curiam perrexere: Convocato presenti sena-  
 „ tu literas inventas sub tapete diligentius inspiciunt, ac se-  
 „ cundum titulos fideliter unicuique reddunt; quæ vero ad com-  
 „ munem Senatum scriptæ, apertæ & in publico lectæ. Ex his  
 „ & praxi aulicæ demonstratur, Succamerarium Regni Poloniae  
 „ honore & loco sedendi atque eundi, antecellere omnes alios  
 „ Succammerarios, Terrestres dictos, qui controversias de li-  
 „ mitibus & finibus inter Nobiles ortas decidunt atque componunt,  
 „ quisque in suo Territorio; sine medio sive immediatè Officia-  
 „ les Supremos Regni sequitur, & confirmationi Jurium subscri-  
 „ bit post illos: Quoties Archiepiscopus ad regem venit, toti-  
 „ es Succamerarius regni infra ad climacem honorificentissime  
 „ excipit eum, & ad regem comitatur. Regi semper præsto  
 „ est, & ad latus hæret, eundemque proficiscentem in Regno  
 „ & extra Regnum comitatur, nisi morbo impeditus: omnia dis-  
 „ ponit ad tranquillam & securam quietem: Cubicularii, Cam-  
 „ mer Pagen, Cammer-Zuncker, Cammer-djener, nobilis & ci-  
 „ vilis ortus, diriguntur & dependent ab eo: neque minus Cam-  
 „ mer-Herren, Officiales & Honorarii, ipsum agnoscunt esse  
 „ Superiorem: qui in aliorum Regum aulis appellatur Maitre  
 „ de garde robbe, id est, vestium, linteorum, &c. custos &  
 „ curator, suppeditatque Thesaurarius Regni Supremus necessa-  
 „ rios sumptus; vestit Regem surgentem unà cum aliis inferi-  
 „ oribus Cubiculi Ministris, & dormituum exui curat jubetque:  
 „ liberrimum habet aditum atque accessum ad Regem, ejusque  
 „ Cubiculum, diurno & nocturno tempore. Legi in mscro quo-  
 „ dam, tempore Joannis Casimiri Regis composito, præfixo.

*Titulo XII. Puncta Objectiva posita à Vice-Cancellario Regni (Hieronymo Radzieiowski) quod rarissimum in utraque lingua legi ut possit curabo. Vide Documenta & Augmenta Nro.I. præmittam verò Obj. X. Quem in finem constituit Respublica Succamerarium Regni? Ut sciret, quid Rex agat, num quid moliatur, quod Reipublicæ contrarium sit. Succamerario etiam facultas data erat, adeundi Regem in ipso conclavi, etsi Rex cum Regina jaceret in lecto. Nunc verò Succamerarius procul stat, donec accersatur,&c. Præprimis igitur est constitutus à Republica, ut ad omnes actiones Regis & Reginae attendat animum, ne quid agant vel loquantur, quod Reipublicæ detrimentum possit asserre, ipsumque moneat modestissimè, vel ad ordines deferat. Pertinent huc PACTA CONVENTA Regis Augusti II. nro. 12. Cavemus etiam pro Consorte Nostra, quod se non imiscebit in negotia Status Reipublicæ per se, vel per subordinatas quasvis personas, & à promotionibus abstinebit. Promotiones quoque per foeminas aulae & per personas externas, neque per intimos Cubicularios Nostros, cujuscunque nationis externos admittemus, sed juxta præscriptum Jurium antiquorum omnia faciemus. Super quo invigilare Domini Cancellarii, Mareschalci, SVCCAMERARII Regni, utriusque gentis, & deferre Reipublicæ tenebuntur: Nuntii autem Terrestres, in Comitibus circa collationem Vacantium facultatem habebunt. Legatos exterorum Principum, honorificentissimè in Conclave Regis ad audientiam introducunt: Si cum exteris de finibus & terminis oritur lis, mittitur tanquam primarius Recuperator sive Commissarius, ex antiqua consuetudine. Jure, & reliquiis pristinae Jurisdictionis. Reges enim Poloniae, antiquitus ipsi decidebant controversias inter Nobiles, de quacunque re, adeoque etiam de finibus & terminis, sic ut Henricus Valesius, teste PIASECIO in Chronico, pag. 50.*



aliquando indignabundus dixerit: Per meam fidem! Poloni isti faciunt, ut agam Judicem Juris peritum; in brevi volent, ut agam etiam causidicum. Quamobrem Zamoiscius, Successori ejus Regi Stephano dedit consilium maximè adprobatum, ut Tribunalia Regni Anno 1578. & in M. D. Lithuaniae Anno 1581. institueret, & se onere tædioso audiendi & iudicandi litigantes Nobiles liberaret. Quodsi igitur de finibus ortæ lites; primævi Reges ex arbitratu suo Succamerarios, qui semper iis præsto fuerunt, ad loca, quaestioni obnoxia, miserunt ut præsentés viserent, emensurarent, mappamque compilarent: Cum hæc & alia non convenirent cum majestate Regia. Ad eorum relationem, ipsis consultis & in consilium adhibitis, tulerunt sententiam Reges, & sic paulatim Succamerariorum Regni auctoritatem & jurisdictionem corroboraverunt & auxerunt. De quibus infra plura. Præsent quoque Succamerarii Regni, Janitoribus Camerae, *Cammer-Trabanten*; Thesaurum Camerae Regiæ custodiunt; ad imitamentum pristinorum Franciæ Regum, de quo Hincmarus Rem. de Ordine Pal. *cap. 22.* De honestate vero Palatii seu specialiter ornamento Regali, nec non de donis annuis militum absque cibo & potu, vel equis, ad Reginam præcipuè, & sub ipsa ad Camerarium pertinebat: & secundum cujusque rei qualitatem, ipsorum sollicitudo erat, ut tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid opportuno tempore defuisset. De Donis verò diversarum Legationum, ad Camerarium respiciebat nisi fortè jubente Rege, tale aliquid esset, quod Regiæ ad tractandum cum ipso congrueret. Ockam de Scaccario: Officium, inquit. Camerariorum in recepta consistit in tribus, scilicet claves arcarum bajulant, pecuniam numeratam ponderant, & per contenas libras in forulis mittunt. Vid. quoque Gre-



Gregorium Turon Histor. L. 4. cap. 26. & L. 6. cap, 45. In literis illustrissimi cujusdam Senatoris regni haec legi:  
*Vellem adhuc instructum Te esse Regem Galliae dare literas ad Succamerarium Regni, quoties legatum magnum ad Regem & Rempubli-  
 cam mittit, prout modernus (1746.) extraordinarius Magnus Legatus Gallicus Machsio de Ffarts reddidit literas regis sui Illustris. Domino Succamerario. Succamerarium quoque habere illud ex praeogativis sui muneris singulare, quod in audi-  
 entiis apud regem magnorum legatorum externorum, & Sup. Secretarius regni, cum legato in conclave regium intrat, praesensque est per totum tempus audientiae. Existimo praeterea pertinere ad praeogativas Ejusdem, quod clavis aurea singu-  
 laris & adamantibus exornatae figurae & formae sit & concava ad aperiendum apta, non solida, ut ceterorum Camerario-  
 rum regis, Terrestres Succamerarios vero nullas portare cla-  
 ves aureas. Conf. Augmenta, Nro. I.*

Ut reliqua Ornamenta, Praeogativas & Illustramenta hujus Dignitatis taceam, quae privato nec innotescunt, nec doceri possunt ob multifarias rationes. Conf. Documenta & Augmenta.

## § VI.

Quando primi Supremi - Camerarii Regni & M. D. Li-  
 thuan. sint orti, decidere vix licet, An. 1382. in Confœdera-  
 tione post mortem Ludovici, & in Pace Brzestensi An 1436.  
 subscripserunt quidem Succamerarii sed Terrestres; Primum  
 Succamerarium Regni subscriptum anno 1587. legi in Con-  
 firmatione Pactorum Conventorum Johannem Dunin; utrum  
 enim nominatus Succamerarius in Confirmatione Casimiri  
 Statutorum de Zuppis Salinarum anno 1451. fuerit Succamera-  
 rarius Regni, an Terrestris quidam, ulteriori inquisitione in-  
 diget.

*'Origo.'  
 ratione tem-  
 poris.*



diget. Conf. Volum. Constitntionum. FREDRO I. cit. jam sub Henrico Valesio nominavit ArchiCamerarium Regni, & si Anno 1382. iam fuerunt Succamerarii Terrestres, conjectura facilis est & firmo stat talo, antiquiores extitisse Succamerarios Regni. De Serie & Indice omnium Succamerariorum Regnia-liquid certi invenire mihi non licuit hactenus.

## § VII.

*Numerus.*  
*Creatio.*  
*Juramentum.*

Duo sunt Camerarii Supremi, alter Regni Poloniae, alter Magni Ducatus Lituaniae, qui a Rege in comitiis generalibus vel extra eadem prævia oratione Supremorum Marschalcorum per traditionem clavis aureæ constituuntur, esque ad aperiendum ostia januasque cubiculi aptas gestant vestibibus affixas & in his pendulas. *Juramentum* hujus est tenoris: Ego N. juro, quod Serenissimo Principi N. Regi Poloniae, fidelis ero, secreta, quæ mihi per suam Majestatem & consiliarios ejus dicentur, contingentia vel Majestatem Regiam vel Rempub. aut utrumque, nemini in jacturam regiam aut Reipublicæ pandam, limitibus regni poloniæ regundis orsa differentias cum vicinis excommisso Majestatis regiae & Reip. fideliter attendam, aliæque negotia omnia officio meo incumbentia fideliter & pro posse meo peragam. Sic me DEUS adjuvet & hæc Sancta Crux.

## § VIII.

*Singularia.*


Praeter illa, quæ de ArchiCamerario JOANNE TENZINIO supra in §. V. adnotavi, addo hic Andreae Maximil. FREDRO in *vita Henrici*, pag. 113. verba: Adjecerat in comitiis coronationis non leves motus aut turbas Zborovii audax faci-

nus.

nus. Huic antiquæ erant (ac recenti sub adventu Henrici haffiludio, in majus recruduere,) cum Ioanne Tenczinio, Archi-Camerario Curia, inimicitia; quia vero obvia (pro more infensorum) arma sibi indixerant, tum vero durantibus comitiis in palatii porta sibi met obvii. Hicne est Tenczinus? (inquit Zboroskius,) quem diu obvium quæro. "Tum" derepente clavem aduncam, quam manu gestavit, destinavit in ictum; Vapovius interim Castellanus Præmisliensis, qui penes aderat, pugnam dirimere volens, paululum declinaverat ictum, objiciens se intermedium; verum infensa & eronea manus in caput pacificatoris Vapovii Senatoris, lethaleriter ferrum illisit. Sic valuit in Zborovio affectus, & privatum odium, ut nequidquam majestatem præsentis regis, aut comitorum authoritatem vereretur. Vocatus in jus percussor, quia iudicis decretum præsens metuit, absens proscriptus est, tandem aliquot post annos vi proscriptionis captus, pœnam capitis subiit, ut sequens sub Rege Stephano docebit narratio."

TOWIANSKI se abdicavit sponte ab hoc officio & in Galliam profectus est; de cujus matre illustrissima hæc fecit verba Zafuski in Epistolis Historico-Familiaribus Tom. II. fol. 543. Ep. 100.

Seiverunt, missa fuisse per Oberbekium certa clenodia ad speciem pretiosa, in re autem ipsa non adeo cara, ut prætenditur adeoque non omnino Cardinali placuerunt, ac de aliis in locum priorum, vel in augmentum cogitare rex debuit. Vidi literas Commissariorum illorum, in quibus rubori sibi esse ajunt, quod sint obligati ea scribere, quæ cum illis Cardinalis, sed maxime Castellana Lenciciensis agit, quemlibet adamantem, quemlibet lapidem pretiosum ex illis missis clenodiis scrupulose examinat, æstimat, rejicit, quæ cum rege tam generoso, imo cum



„aliquo mercante judæo fieri non deberent. Qualibet die  
 „proinde variantur propositiones. Eadem die remisit Cardi-  
 „nalis sapphiros ingentis magnitudinis & pulcherrimos, qui  
 „in vadio, antequam pecuniæ secundum conventionem pro-  
 „missæ (sc. 100000. Iachim) vid. Epist. 97. T. II. p. 518. sta-  
 „tim 25000. Michaelis festo 75000. thal.) redderentur manare  
 „debebant. Placuerunt satis Cardinali, sed Castellanae non  
 „arridebant, ac proinde remissi, cum declaratione, quod nisi  
 „rex miserit adamantes; concordia dissolveretur. Studio pro-  
 „inde tranquillitatis publicæ misit rex Elephantem ( ordinem  
 „equestrem Danicum Elephantis ) adamantibus plane obrutum,  
 „& alia pretiosa clenodia, quæ plus quam triginta millium ta-  
 „larorum pretium adæquant, quæ rupto tractatu Lovicii 27.  
 „Mart. quanquam Cardinalis retinere voluerit, remiserunt  
 „Commissarii non sine periculo, quod ille qui portabat, vix e-  
 „vasit; nam illi insidiæ instructæ erant.  
 „Notitiam derupto tractatu magno moerore & sensu rex  
 „accepit, & forte læsa patientia in furorem versa fuisset. Refe-  
 „rebatur regi, quantum Cardinalis iratus fuerit, quod illæ pri-  
 „mæ gemmæ non fuerint sufficientes, cum vero alias Oberbe-  
 „kius portasset, & in mansione Towiansciæ reposuisset, quæ  
 „summe illi placuerunt, venit ex improvise Cardinalis, & fu-  
 „riose illudi sibi arguebat, sed dum in aurem ipsi dictum fuisset  
 „ab Oberbekio, esse jam alia clenodia, & Domina monstros-  
 „set digito in mensa ea jacere, sereniore vultu videns, illi  
 „dixit Cardinalis: Quod ille Elephas pulchros dentes haberet.  
 „Sed cum Commissarii nihil vidissent solidi, cum Cardinalis  
 „adhuc plura desideraret, quietationem vero, quæ requireba-  
 „tur, cum obligatione reddendorum illorum pretiosorum, quo-  
 „tiescunqve condicta summa pecuniæ numerata fuisset, dare  
 „noluerit, & verbo tantum promittebat, quod jam toties mu-  
 „tatum


tatum, & plus adhuc requirebat, præcipue vero pro Castell' lana & filio ejus unigenito; Commissarii timentes, ne & clam frangerent & seram non aperirent, ne scilicet Cardinalis acceptis clenodiis sua prosequeretur intenta, ad regemque accessum differret, clenodia arte, dum Cardinalis cum Castell' lana consuleret, ceperunt & exportarunt. Ceterum rogo doctiores & publici juris exactiorem qui possident notitiam, omni observantia, ut me edoceant aliquando per literas: utrum Succamerarius regni, prerogativa gaudeat Electorem Brandenburgicum, S. R. Imp. Cris. Cammerer imitandi, qui in coronatione Imperatoris præfert Sceptrum, olim Clavem auream, & ante prandium solenne affundendi aquam manibus ejus, ex in pelvi; de qua ceremonia scripsit RHETIVS in Jure publ. S. R. I. pag. 234. Tit. XIII §. 3. *In solenni curia Casari pelvim exhibet & mantile, ejusdem valoris ac cetera instrumenta. quibus electores solennibus muneribus defungi solent, scilicet duodecim marcarum argenti. Manutergii in A. D. cap. 27. §. 3. non fit mentio; usus tamen docuit, quod proxime adstantes in exhibitione aquæ, vel comes palatinus vel alii id tenuerint.* Vel utrum olim forte in coronationis solennitatibus id fuerit usu receptum.

*Politum Au-  
toris*

§ IX.

Insignia natalitia moderni Succamerarii Regni pluribus descripsit R. P. NIESIECKI in *Corona polonica s. Korona Polski* titulo Ciolek, cujus verba polonica & in latinam versa linguam legi possunt & aucta. cum nova interpretatione: Juvencus est rubricoloris in Campo albo cum cornibus ad dextram clypei versus. Ex Galea cum corona proflit idem cum dimidia parte corporis versus dextram.

*Insignia natalitia cum nova opinione.*



tram. Bielski. Pabrocki in Nido virtutum. Noster Patri-  
 sancta testatur de multis in Italia, Britannia, Germania, Gal-  
 lia, Hispania existentibus Familiis, quod his insigniis ornatae  
 sint, inter quas duo Pontifices maximi Calixtus II. anno 1454,  
 de quo etiam in Prophetia S. Malachiae Hybarni Episcopi le-  
 gitur; Bos Pascens. Secundus Pontif. Max. est Alexander  
 VI. vel, ut Prophetia appellavit: Bos Albanus in Portis, ex  
 Episcopatu Portia electus. Uterque ex Familia Principum  
 Borgiorum, celebres per multos principes, & imprimis per  
 S. Franciscum Borgium, Principem olim in Gandya, Vice Re-  
 gem Catalaunii, postea Generalem III. hujus Ordinis. Ex  
 eadem familia Vitelliorum Romae fuit Laelius Vitellius Nepos  
 Consul & post duos annos alius Vitellius, Praefectus Syriae.  
 Ex his Vitelliis Familias originarias & derivativas Ciole & Ju-  
 venci in Polonia nostra ortas & propagatas esse. testantur Dlu-  
 gossius & Bielski. Nam Robertus Vitellius a Sede Apostoli-  
 ca Roma post mortem Hattonis An. 917. ad Archiepiscopa-  
 tum Gnesnensem missus est, secum asserens fratrem germanum  
 Paulinum, qui multa praedia in polonia emens, sedem ibidem  
 fixit, & familiam per conubia propogavit, vir opulentissi-  
 mus. Parisius in MS. credit, hanc familiam ex Sarmatia in  
 Italiam esse translata, Caroli M. belligerantis aetate. Sed  
 contrarium ex mea relatione supra corroborata patet. Oc-  
 casionem vero horum Insignium affirmavit hic Auctor, fuisse  
 hanc: Tempore Imperatoris Ludovici Pii pecudum greges  
 permultae erant ablatae, captae & abductae instar praedae, & in Gal-  
 liam abactae, Sarmatas autem recollectis viribus ex castris inopi-  
 natum fecisse eruptionem & omnia pecora recuperasse. funda-  
 menta suae conjecturae jaciens in Vopisco & Oroso. Sarnicki opi-  
 natur ex Gothis derivandam esse Originem. Ego conjicio ortum  
 esse stemma ante tempus Roberti Gnesiensis Episcopi; licet

non Regem, illum cum his Insigniis in poloniam nostram venisse. Ipse Lechus hanc bestiolam pro signo militari usurpavit, postea in Aquilam mutatam, & Romani quomodo Juvenco sint usi, legi potest in Plinii Historia Naturali L.X. c. 4. omnes ex hac familia oriundi quod fuerint pii & fortes testantur Dlugoff. Bielse. &c.

Brzeski.	Drzewicki.	Lipowski.	Powisński.
Bzicki.	Ewil.	Macieiwski.	Woznicki.
Cetys.	Gluski.	Malinowski.	Zaleski.
Chadzynski.	Goryssewski.	Ostrołeczki.	Zardeski.
Ciolek.	Gutowski.	Pilecki.	Zelechowski.
Czarnofuski.	Korycki.	Podfilipski.	Zielinski.
Dębrzyniecki	Kossowski.	Poniatowski.	Zulinski.

Si licitum est conjecturas augere conjecturis, ego statuo hujus illustrissimæ familia primos conditores cum Lecho has in regiones postquam venerint, Summos pontifices fuisse, Sacra ordinasse & idololatriam immolando Juvencos & tauros coluisse, post abrogatam vero idololatriam a Miecislao I. inter nobiles prædia emendo & conjugia ineundo propagasse sanguinem & Insigne hoc in hastiludiis a Boleslao I. ad recreationem Ottonis Imp. III. institutis teste Dlugoffo, & ob discrimen ab aliis nobilibus, usurpasse in clypeis, vincentes & triumphantes. Id quod etiam de multis quadrupedibus animalibus, in Polonorum Insigniis conspiciendis, affirmare non erubesco, ad seculum X. & XI. omnia referens, & de antiquioribus dubitans; salvo tamen melius sentientium judicio.


§ X.

In Regno Poloniae quam plurimos hodie existere Succamerarios, *Zakaszowski* in Jure Publ. Pol. fol. 758. §. 3 sqq. sciendi cupidos docuit, scribens: De Succammerario *Razanensi* Succamerarii Terrestris in Polonice Regno.

"Et *Macoviensi* habetur in in Constitut. Annis 1567. fol. 104.  
 "tit. Podkomorstwo Rozanski. De dicto quoque Succame-  
 "rario Rozanensi habetur in Constitut. Ann. 1647. fol. 35. tit.  
 "Podkomorstwo Rozanski. ubi æquiparatur aliis Succamera-  
 "riis, & ut eligatur. De Succamerariis *Nurensi*, *Ostro-*  
 "*viensi*, & *Cameneceksi*, ut etiam per electionem sint, habe-  
 "tur in Constitut. Ann. 1588. fol. 878. Tit. Nowoletne Sprawy.  
 "Officia Succamerariorum Palatinatus *Masoviensis* in Exceptis  
 "Masoviensibus Ann. 1576. fol. 312. Tit. O Podkomorzym,  
 "descripta sunt, ut ipse per se, & Camerarium suum visiones  
 "expediat, controversias de limitibus coram se vel suo Camera-  
 "rio factas, munimenta que à partibus producta. ad Judicium  
 "Terrestre deferat, & postea partes in Judicio Terrestri in præ-  
 "sentia Ejus vel sui Camerarii, controversias repetant, & mu-  
 "nimenta monstrant. Quibus auditis & trutinatis, Judicium  
 "Terrestre. juxta præscriptum Juris actoratum (Polonicè po-  
 "wodostwo) parti meliora documenta adjudicet; salva apella-  
 "tione reservata. Notarius autem Terrestris, omnes contro-  
 "versias partium & Decretum Iudicii, connotet & inscribat;  
 "ob idque Succamerario & Camerario ejus Acta prohibita sunt.  
 "Prærogativa & Jurisdictionis Succamerarii *Czerkensis*, coæqua-  
 "ta est prærogativis & jurisdictionibus Succamerariorum Re-  
 "gni, in Constitut. Ann. 1593. fol. 647. Tit. Podkomorstwo  
 "Czerkic. Similiter *Livenfis* & *Nurensis* Succamerariorum in  
 "Masovia, in Constitut. Ann. 1598. fol. 702. Tit. Podkomor-  
 "strzeowie w Mazozw. Sicut etiam *Wisogrodensis*, *Zacroci-*  
 "*mensis* & *Lomziniensis*, in Constitut. Ann. 1601. fol. 753. Tit.  
 "Podkomorstwa Mazowieckie Similiter *Viscensis*, in Constitut.  
 "Ann. 1607. fol. 858. Tit. O Podkomorzym Wilkim. Pariter  
 "*Warsoviensis*, in Constitut. Ann. 1613. fol. 18. Vit. Podko-  
 "morstwo Mazowieckie. Similiter *Viscensis*, in Constitut.  
 Ann.



Ann. 1607. fol. 858. Tit. O Podkomorzym Wislim. Pariter<sup>22</sup>  
*Warsaviensis*, in Constitut. Ann. 1613. fol. 18. Tit. Podko-<sup>22</sup>  
 morstwo Warszawskie. Similiter *Ciechanoviensis*, in Con-<sup>22</sup>  
 stitut. Ann. 1616. fol. 29. Tit. Podkomorstwo Ciechanowskie;<sup>22</sup>  
 hoc addito, ut juxta Excepta Ducatus Masovia Salario sit con-<sup>22</sup>  
 tentus. Quod extensum ibidem est ad Succamerarium Leopold-<sup>22</sup>  
 liensem, qui in Constitut. Ann. 1658. fol. 49. Tit. O Urzę-<sup>22</sup>  
 dach Ziemskich, conservatus est in sua prerogativa; locus<sup>22</sup>  
 autem illi assignatus post Capitaneos. De Succamerario Pa-<sup>22</sup>  
 latinatus *Sandomiriensis*, in Constitut. Ann. 1631. fol. 35. Tit.<sup>22</sup>  
 Sklepnia Xiegi Podkomorskie, talis ordinatio dicta est: Ut<sup>22</sup>  
 Libri Succamerales Palatinatus istius, in arce Sandomiri-<sup>22</sup>  
 ensi asserventur, atque Notarium suum possessionatum in eo-<sup>22</sup>  
 dem Palatinatu habeat, & non prius ad officium suum & cu-<sup>22</sup>  
 ram Actorum Succamerariorum admittatur, nisi postquam co-<sup>22</sup>  
 ram Iudicio Terrestri juramentum, in eadem Constitut. de-<sup>22</sup>  
 scriptum, praestiterit. Ad haec ordinatum, ut quilibet Suc-<sup>22</sup>  
 camerarius istius Palatinatus, post expeditionem Granicierum<sup>22</sup>  
 Actum hunc limitum ordinate & sufficienter conscriptum, ad<sup>22</sup>  
 manus dicti Notarii Succameraris, sub amissione Officii sui,<sup>22</sup>  
 intra decursum sex septimanarum transmittat, & in libris Di-<sup>22</sup>  
